



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia || Et || Metropolis || Alberti Crantzii || Historici
Doctiss. Sacrae || Theologiae & Iuris Canonici Doctoris ||
celeberrimi, ac Ecclesiae Ham-||burgensis quondam
Decani**

Krantz, Albert

Coloniae, 1574

Capvt XVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11453

Annus erat quintus post centum atque mille, cum
 Henricus Imperator Natale Domini Moguntia
 celebraret, filius in Bauaria parat rebellionem, consilio
 procerum quorundam, à patris latere antepaucos dies
 discedens: Anathematizat publicè patris impietatem
 in ecclesiam matrem. Serpserat eius disputationis me-
 moria latius, quam supra commemorauimus habitam
 inter primores regni ecclesiasticos: cum ostenderetur,
 Imperatorè nulla ratione, nulla tergiversatione defen-
 di, quo minùs ecclesia filius eidè parère teneretur. Vo-
 cauit illum Alexāder papa ad respondendum querimo-
 nijs: Contempsit. Vocauit Gregorius, non venit. Excom-
 municationis gladio casus, etiam destitutus est regno.
 Tot intercesserunt anni: non est emendatus, in contuma-
 cia semper permansit, antipapā fouit. Nupèr à Paschali
 pontifice omnia renouata, anathema, depositionè, quid
 superesse, nisi extremam perfidiam, & paganismum?
 Igitur Noricos principes, & qui supra habitant in ea,
 que nunc est Austria, filius sibi conciliat: Sueuos quoque
 consociat, & magnā ex Francia orientali nobilitatem.
 Indè conuersus in Saxones, illos quoque reperit volun-
 tarios, quòd nunquam patri ex animo iungerentur.
 Pascha Domini in Quedelenborg filius ipse concelebrat,
 magno nobilium conuentu: Consilio deindè & ministe-
 rio Rotardi archiepiscopi Moguntini totam Saxoniam
 in Romane ecclesie reduxit communionem: Erant au-
 tem ad hoc constituti à sede apostolica commissarij,
 idem Moguntinus & Constantiensis episcopi: Po-
 pulo verò & nobilibus conuentus indicitur in Nort-
 busen Saxonie oppido, Francis non longinquo:
 Vbi etiam episcopis & clericis synodus habenda
 denun-

denunciabatur. Quo in loco cum rex Henricus iunior
 adesset, magnam praese ferebat modestiam: Nam epi-
 scopis & praelatis de ecclesiastica sanctimonia reparati-
 one agentibus, rex se nunquam nisi rogatus immiscuit,
 expectans quid inter eos constitueretur. Execrata ibi
 explosa est Simoniacae labes, damnata cleri incontinen-
 tia, adulteria punita: reconciliatio omnium praesenti-
 bus, qui ab pseudoepiscopis videbantur consecrati. Quo-
 bus multa cum grauitate expletis, procedit rex in publi-
 cum, non splendido habitu, deiecto in terram vultu, pro-
 cipibus, atque omnibus regni subditis, sua cuique iurata
 renouauit, poscentibus haec & illa, multa supra etate gra-
 uitate respondit: Si qui iniusta viderentur in prece pre-
 tendere, ita respondit, vt verecundia repercuterentur.
 Postremo conuersus velut in concione ad vniuersos, oculos
 lachrymis plenos sustollit in caelum, Deum, & celsitate
 omnes testatus, se nullo regnandi amore, sed sola Dei
 & iusti contemplatione in patrem & dominum suum,
 alioqui inemendabilem, ferri: Qui si Deo, & vicario
 eius Petro & illius successoribus summis pontificibus, hoc
 est, ecclesiae catholicae sinceritati se coaptet, paratū est
 patri per omnia subijci, regno, si iubeat, decedere: modo
 Rom. ecclesiae & fidei orthodoxae integritas repa-
 tur. Excussit omnibus lachrymas, vultus, & oratio, &
 humilitas regis: Omnes in commune precabantur pa-
 ternum Imperatoris animum emolliri, in filio pietatem
 conseruari, tum salua omnia futura. Illic Vdo Hilde-
 mensis, Henricus Padeburnensis, & Fridericus Halber-
 stadensis, praesules, pedibus metropolitani Moguntini
 prostrati, reconciliationem rogabant, quod Imperatoris
 pertinacia viderentur subscripsisse, & de illius manu ec-
 clesias accepisse.